1. Seren
2. Aspe
3. Auri
4. Alvec
5. Augu
6 Arch
7 Aquil
8. Seren
9 Come
10 Cheru
11 Coron
12. Carn
13. Celsi
14. Caste
15 Tha
16 Dom
17. Dilec
18. Diva
19. Diu
20 Excel
21 Ædas
22 Emi
23 Emin
24 Fort
25. Gesta
26 Hec
27 Aila
28 Ins
29 Lau
30 Libe
31. Prog
32.
33. Op
34 Ob
35 Ora
36 Pla
37 Port
38. Pr
39 Ph
40 Re
41 Ca
42. Sid
43. Spe
44 Th
45 Ton
46 Tri
47 Ver

Opuscula in his miscellaneis sub IIto contenta sunt. 47.

1. Seren.mo ac potent.mo Augusto II. Regi Poloniae. Societas Jesu Polona. 1697.
2. Aspectus sapientiae a Telemaco Ulyssis filio. Crac. 1758.
3. Aurifodina sapientiae in bibliotheca a Stan. Jos. Bieżanowski celebrata. Crac. 1671.
4. Alveare novi examinis apum &c. Thom. Jos. Marcewski Crac. 1688.
5. Augusta solii reginalis majestas. a Stan. Jos. Bieżanowski deducta. Crac. 1670.
6 Archetypus animorum &c. p Stan. Joan. Niewieski Crac. 1668.
7 Aquila in petram coelo sublimiorem p Samuel. Joan. Podgórski lugubr. observ. Crac. 1709.
8. Serenissimis Neo-sponsis Soc. Jesu Polona. absq. lit. Joanni III.
9 Comes divinae sapientiae D. Thom. Aquin. a Mathaeo Mich. Łukaszkiewicz Crac. 1681.
10 Cherubin Ecclesiae militantis S. Thom. Aquin. a Thom. Alexandro Małyszko orat. dem. Crac. 1750.
11 Corona rosar. ad diem natalem p Balthas. Bened. Żarski O.S.B. paneg. dedic. Crac. 1690.
12. Carmen Votivum B. Joan. Cantio p Stan. Jos. Bieżanowski cons. Crac. 1680.
13. Celsitudo triumphalis Simonis Wosinski calamo celebrata Crac. 1698
14. Castalius Cracii parnassi ab Ignat. Mikłaszewski deductus Crac. 1725.
15 Thaumaturgo gratiarum fonti D. Jo. Cant. p Joan. Cant. eod. ann. ab Ignat Mikłaszewski
16 Domitor draconis Stygii S. Georgius M. p Joan. Felician. Łukaszkiewicz Crac. 1689.
17. Dilectus Mariae S. Andreas Corsinus a Joan. Cant. Kuczankowicz paneg. celebr. Crac. 1673
18. Diva equestris tilan.x seu condus. Theol. Raphael Michalski Crac. 1672
19. Divi Thomae de villa nova. int. sanctos relat. p Stan. Jos. Bieżanowski paneg. Crac. 1663.
20 Excelsum virtutis fastigium S. Andreae Corsini a Franc. Luca Makowiecki Crac. 1674. orat.
21 Aedes laureati honoris &c. ab Alberto Antonio Grzymała. Crac. 1719.
22. Emeriti gentilitii Roski labores a Coll. Crac. S.J. paneg. Crac. 1734.
23 Eminentia Sacrae Romanae Ecclae. ab Archi: Coenobio Tynec. Crac. 1738. paneg. Eppo Crac. Lipski
24 Fortitudo Martis a Vlad. Radomicki exhibita. Crac. 1688.
25. Gestamen Pontificii honoris a Guilhelmo Andrea Robertson paneg. celebr. Crac. 1699.
26 Hecatombe lectorum ed vita &c. S. Joan. Cantii ab Universitate Crac. 1668 devote.
27 Hilaria Animorum Greg. Stan. Barszczewicz decantavit versib. Crac. 1703.
28 Insigne Theologicum p Stanisl. Jos. Bieżanowski celebratum Crac. 1668.
29 Laurus Seraphica D. Bonaventura a Paulo Joan. Wsiewodzki paneg. celebr. Crac. 1669.
30 Liber votivus Szaniawski Eppi Crac. p Aegid. Steph. Wadowski Crac. 1721.
31. Programma, Constantinus Felicianus Eppq Crac. Georg. Dobrowolski ab Acad. tota. potius.
32. Novus Salomon D. Thom. Aqu. paneg. celebr. p Andr. Sigism. Paschasy Crac. 1677.
33. Optimum Elixir sive oratio a Joan. Zajączkowicz publice dicta. Crac. 1693.
34 Olor academicus sive panegyris D. Joan. Cant. a Joan. Joseph. Kozłowski hab. Crac. 1667.
35 Oratio Dedic. et Elogium D. Bernardi Mell. Doct. sine lit.
36 Plausus solemnitatis memorabilis S. Joan. Nep. a confraternitate litterator. Crac. 1729. canonic.
37 Porta Oginsciana Gloriae seu Neosponsis Epithalam. Stan. Petri Łużyński Crac. 1685.
38. Proregia Coronae Benigni Bychowski (duplicat) ut sub nro 50
39 Philantropicon Lyricum Valentini Joann. Mazurkowicz. Crac. 1659.
40 Regium iter in imperium Ferdinandi III Anon.
41 Canticum novum animi salientis ad Deum Ferdin. III munusc. Gualteri Pauli SJ. Vien. Austr. 1637.
42. Sidus lucidissimum D. Bonaventura a Jos. Joan. Łukaszkiewicz paneg. demonstr. Crac. 1717
43. Speculum sive doctrina brevis Confraternitatis SS Def. Crac. 1679.
44 Thronus regni poloniae duplicat. ut sub nro 48.
45 Tomus tollendis tenebris Thomas Theologus Aegid. Steph. Wadowski Crac. 1719.
46 Triumphalis virtutum pompa a Jos. Maria Nicol. Gualtini poet. et orat. cultu. Crac. 1728.
47 Vernans eruditi honoris laurea a Gaspare Krudnerowicz Crac. 1670. Prose et versib.

Authores in his Miscellaneis pt anonymum sunt 28.

Anonymus, 1, 2, 8, 22 23. 26. 31, 35, 36, 40, 43.

Barszczewicz Greg. Stan. 27.

Bieżanowski Stan. Jos. 3, 5. 12, 19. 28.

Grzymała Alb. Ant. 21.

Gualtini Joseph. Nic. 46,

Gualteri Pauli SJ. 41.

Kozłowski Joan. Jos. 34.

Krudnerowicz Gasp. 47.

Kuczankowicz Jo. Cant 17.

Łukaszkiewicz

(2) 4

ALVEARE
NOVI EXAMINIS APUM,

Melle Scientiarum

COPIOSE

manans.

QVOD.

Scientificæ Apes, vberrimè comportârunt,

SACRO DVCTORE

Admodùm Reuerendo Domino,

D. DOMINICO RVSZKIEWICZ,

Philosophiæ Licentiato, Curato Brzeznicensi.

Agmen feliciter Ducente.

QVI,

dum

PER

Clarißimum & Admodùm Reuerendum Dominum,

D. M. FRANCISCVM TOKARSKI,

Philosophiæ Doctorem, Collegam Maiorem, Eloquentiæ Tylicianæ Professorem, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ CANONICVM.

vna cum aliis VV. DD. Licentiatis,

in Alma Vniuersitate,

Artium Magister, & Philosophiæ Doctor,

in Nobilissimo Magnorum Hospitum consessu,

RITV SOLENNI RENVNTIARETVR,

Plausum dabat amicus amico.

M. THOMAS IOSEPHVS MARCZEWSKI,

Philosophiæ Doctor, Ecclesiæ Collegiatæ Climuntouiensis Præpositus.

ANNO 1688

qVo Apis Cælestis eX inVioIato Virginis aLVeo progressa Montana aspera munDi VIsItare cæpIt. die: 8. Iulij.

CRACOVIÆ, Ex Officina Francisci Cezary, S. R. M. Illustriss. ac Rndiss. Dni Episcopi Cracou. Ducis Seueriæ, Necnon Schol. Nouoduorsc. Typogr.

IN STEMMA
Perillustris & Reuerendissimi Domini



Quòd tantùm sapiat, quòd tantâ luce coruscet
Hæc volucris, Cracio quod placeatque Ioui;
Cælestis Genij facit hoc lux aurea, quando
Pro capite, in summo vertice sydus habet.

IOANNES, CANTIVS, FRYCYVS
Studiosus Almæ Academiæ Cracou.

PERILLVSTRI, & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. PETRO STANISLAO ORŁOWSKI,

PROTONOTARIO APOSTOLICO,
Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis CANONICO,
Præposito & Officiali perpetuo Tarnouiensi,
S. R. M. SECRETARIO.

CELSISSIMI & REVERENDISSIMI

D. IOANNIS DE MAŁACHOWICE MAŁACHOWSKI,

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPI CRACOVIENSIS, DVCIS SEVERIÆ,
Causarum Generali

AVDITORI.

Domino & Patrono Colendisimo.

PRæclarum antiquitate, ast modò nouis Apibus Illustre, quondam etiam professione, nunc Calamo meum, Philosophicæ Cathedræ Alueare, sub cuiusnam Sideris luce, luci publicæ exponere possem, non diu fluctuabam animo. Perillustris & Reuerendisime Domine: *Nàm bonis Auibus velut Cynosura, illuxit stellata Aquila Tua, tempus locandis in Alueari Apibus aptißimum, ac fauis construendis conuenientißimum, designando. Et benè, Mellifer enim exercitus ille, cerea sua Castrametari semper in ortu Vergiliarum, optimè consueuit, hisq; astris fauentibus, fauos mellis fingere, mella in copia fundere, & purißimum fetum centuriare nouit. Euolat felicißimè ex Alueari suo, & Apis mihi semper grata, eximium nouarum Apum ducens Agmen; euolat ad Musarum latepatentes colles, mel suauißimum collectura, nullibiq; post labores, quiescere cupit, nisi sub Magnis alis Tuis, ô grandis ac Stellata Aquila, vt sub hac luce infestas Apibus eludat tempestates; id certò sciens, quod:* fugiunt hoc sidere nimbi. *Nullos quoque timebit, æthereos tumultus, cæciq; in nubibus ignes, aut ipsa tela, manibus Cyclopum fabricata, nullum Api huic incutient terrorem; nam Stellifera Aquila Tua, semper habet:* sub pedibus nimbos, & rauca tonitrua. *Æstus quoq; huc, illuc, volitanti, minimè nocebunt; quoniam Aquila Tua, sat grauibus & salubribus consiliis, non vni frequentißimè:* eleuatur in Vmbram, *ad instar illius, quæ Marciano Imperatori, adhuc militi in itinere cubanti, expansis alis vmbram præbere*

visa

visa est. Felix verè Aquila, quam Pindarus dixit, in Sceptro Iouis dormire consueuisse; ex Numismatibus verò, tam Imperatorum quàm Consulum Romanorum patet, non solùm Sceptro, sed etiam fulmini Iouis insedisse, imò ipsius Dei simulacrũ, siue in Capite, siue in alis portâsse. Ad amussim ista, in Te, Perillustris & Reuerendissime Domine *compleri quis non videt? dum velut Generosa Aquila,* Gratiosissimi Iouis *nostri, obis munera, & negotiis tot difficultatibus oneratis, non humeros solùm, sed & Caput ob fulgorem scientiæ, in lucidum sidus commutatum supponis, onera tanta, inuictâ fortitudine, portans incessanter. Certè Vigilantis ac sagacis Aquilæ Tuæ est, negotia multis difficultatibus intricata, ac si latepatentes cãpos, celeri peruolare ingenio, anteire auras, Sapientiæ Solem pleno oculo haurire, nimbisq; spretis arcem siderum cogitare. Et licet animatâ sis armatus iustitiâ, velut flammigera Tonantis auis, suauissimâ tamen indole, dulcissimo ingenio, facundo eloquio, specie augustâ, quemq; in Tui amorem rapis, vt rectè dicere possim:*

Insedêre tuis Apes labellis,
In labris residens tuis suáda,
Hybleum liquat Atticumq; rorem.

His præclaris dotibus Tuis, ac si dulcibus florum odoribus illectæ Apes hæ, ipsæ sponte, hoc eximio Alueari emissæ, conuolant ad stelliferam Aquilam Tuam, & quidni uolent? Reginãq; Auium, ac si suam, concordi sono consalutent? Quam, & tot virtutum, ac factorum gloriosorum prærogatiuæ, & oculorum acies, & examen solis, & indefessus Alarum vigor, & exhibitum Ioui Gratio fidele ministerium, semper amabilem, semper dulcem cuiq; reddunt. Ad hanc suauitatem placuit mihi, & meum apponere mel, vt, si quid amarum in meo Alueari reperitur, sub hoc dulci Aquilæ sidere, transiret in dulcem succum. Patieris ergo Perillustris & Reuerendissime Domine. *hoc nouarum Apum Alueare, deferri ad gratiosum sinũ Tuum, atq; sub Patrocinantibus alis tuis collocari, quòd dum tibi promptus offero, reddo quod debeo. reddit & scientifica, Apis ista, tibi optimè nota, quæ, & alias Apes, quoniam ad hoc reducit Alueare, tibi debet. Tuo enim Patrocinio, Tuâ promotione, Tuâ nostri commendatione, in gratiam* ILLVSTRISSIMI ANTISTITIS *id factũ est, quòd iterum liceat nobis, sacris militibus, militare in Castris Musarũ. Dum ergo in pectore Tuo, suauissima humanitatis residet dulcedo, in vim debitæ gratitudinis, ac venerationis, libens, cum hoc præclaro Alueari has eximias reddo Apes, & opto, vt Tibi continuò gratiarum cælestium mella fluant vberrimè. Recipe ergò grato, & beneuolo animo, quem vtriq; nostrûm semper exhibes, noui examinis Alueare, & vnâ cum illo, exili paginæ huic, nunquam perituris notis impressum, nostri erga Te officiosissimi cultûs obseruantiæq;, perpetuum monumentum.*

Perillustris & Reuerendissimæ Dominationis Vestræ

Seruus humillimus ac Cliens æternùm deuotus

M. THOMAS IOSEPHVS MARCZEWSKI,
Philosophiæ Doctor Ecclesiæ Collegiatæ Climuntou: Præpositus.

AD

AD
ALVEARE
NOVI EXAMINIS APUM,
ICALAME,

& satis inualidos ne dedigneris lassare artus;
vt illam,
quam dudum fidissimo Achati, ex animo optaueras
gratuleris felicitatem.
ALVEARE quidem non vile exemplar laborum circuibis,
Apes tamen circumuolantes ne metuas;
quoniam illæ
Legent non lædent.
Quodsi verò
cultioris Sermonis quærens fucos,
sese importunè aliquis intruserit fucus,
hunc tu generosè abige;
&
Nec aculeos timens, nec insolitos curans sonos,
dicito:
vt potiar patiar pro melle mille dolores.
Solas tu Vatibus patentis Parnassi Alumnas
insectare Apes,
Et si,
diuturno exsiccatus otio,
has breues nequis exarare pagellas,
Amici intingere affectu,
& ex nunc nota;
quod laboriosæ Apes hæ,
Vt
sine vllo fastidio, in celso honorum fastigio,
volucris reponant præconia famæ,
non coquunt lapides,
non dolant arbores,
non quadrant marmora,
non absorbent flumina,
non æquant montes in lapides,
non succidunt syluas in trabes:
sed,
modò teretes, Artisticarum hæderarum Corymbos;

modò,
dulces florentis eloquii, ac si suauis tiliæ surculos.
modò,
rubentium rosarum Philosophicarum gemmas,
ore legulo populantur.
Verè,
Mens omnibus vna,
vt
Visitent, non vitient, lætos Apes hæ inclytæ, scientiarum flores.
summâ industriâ, sedulâ assiduitate.
Nulla his sine ingenti labore labitur dies,
dumque illis,
sicut honos, ita crescit & onus,
sub onere tamen minimè fatiscunt,
quin imo,
Ad flatus & fluctus natæ,
vt deuitent impetus Euri, duris se laborum librant lapillis,
Apis veræ ad instar,
quæ,
S. Ambr. *Cum aëris motus suspectos habet, lapillis sæpe sublatis, per inania se librat nubila; ne leue alarum remigium, præcipitent flabra ventorum.*
Flos illis odoratissimus,
scientia:
dulcis verò pro sudoribus succus,
gloria:
pro qua, si sic desudant continuò,
quid mirum ?
siquidem hæc;
Platonem ipsum, ad tanta tamq; ardua discenda animauit.
HÆC,
illius Discipulum Aristotelē, post tam multa à se, ferè in omni genere scibilium conscripta, Magistri & eius, (à quo filii loco semper habitus fuit) opinionibus aduersari coëgit.
HÆC,
Diogenem ad tam miserum vitæ genus perduxit;
vt mori potius quàm viuere videretur.
HÆC,
Annibalem Alpes transire;
HÆC,
Alexan-

Alexandrum, Herculem, Cyrum, Perseum,
tanta belli discrimina animosè subire coëgit.
Hinc patet,
quòd magnorum laborum, gloria sit cumulatissima merces.
Ad quam, dum toto anhelitu,
Apes istæ Sacræ Musarum volucres anhelant,
TU
Admodùm Reuerende Domine,
Sacratioris Cereris Arbiter,
felicissimè Agmen ducis:
Vt dulci, ex flosculis Ornamentorum Philosophicorũ delibuto succo,
sat Præclarum Cathedræ Philosophicæ,
felicissimè ingrediantur
ALVEARE.
ibique,
Suauissimum Scientiarum reponant nectar,
simul &,
Nomina mansura per æuum.
Hoc præclarum, præstantissimarum Apum,
Te ducentem examen,
Per gloriosa facta tua, ad Alueare prosequetur
Calamus meus,
incultus quidem, & tali operi minimè accomodatus,
at affectu & amicitiâ nostrâ, plenissimè imbutus,
scribet,
quod sincerus candor dictabit,
optabitque,
vt qui Viuimus simul,
simul eadem vterq; sine discrimine gaudeamus,
FELICITATE.
ALVEARE,
Cathedram Philosophicam,
si appellauero nemo inficiabitur:
cùm illam,
noúa Doctorum sæpè circumuolent examina,
non aliter,
quàm circa Alueare glomerantur Apes;
Apes illæ,

quæ

quibus pro aculeo, subtilis ingenii acumen,
quo,
& se contra hostem suum ignorantiam tutantur,
& mel suauissimum scientiarum, inaniter consumentem
fucum, fugant otium.

Apes illæ,
quæ delibant scientiarum flores, nitidoque rore pascuntur,
quem Supremi Rector Olympi,
Variis scientiarum instillat floribus:
vt illo,
Apes hæ selectissimæ, & pascant alios, & ipsæ pascantur,
ac locupletissimâ impleant dulcedine hocce
A L V E A R E.

Si verò cui grati sunt thymi odores, si & mel sapidum
infusum labris, huc sua conuertat lumina,
& has nouas intueatur Apes.
quomodo laborant, quomodo illa huic: hæc illi insideat scientiarum flori,
non aliter, quàm dum ille

Mellifer electis exercitus, obstrepit herbis,
Pratorum spoliatur honos, hæc lilia fuscis,
Intexit violis, hanc mollis amaracus ornat,
Hæc graditur stellata rosis, hæc alba ligustris.

Tali labore, non dissimili industriâ atque sagacitate,
Apes istæ scientificæ,
è floribus scientiarum, suauissimum nectar colligentes,
verè feliciores, ac ditiores sunt, quàm illæ
Atticæ, Hymetti populatrices,
Et quæ Cecropio monte vagantur Apes.

Regem verò
Apum istarum, si inquiras?
Verticem huius Aluearis eximii curiosiùs inspice;
& cuiuscunque figuram, inter radiantia lumina,
luminibus coruscam conspexeris.
Hunc tu istarum Apum intellige,
Regem.

Qui

Qui in specie, candidissimæ alitis, veluti Columba;
Ad Candida tantùm.
veluti ardens flamma;
Cursum dirigit.
Veluti tenuis ac prosperrimus Ventus;
Ducit in altum.
Veluti calamus, Scribæ velociter scribentis,
silentio loquitur.
dumque loquitur:
Apes istæ, ac si Promethei statua, igne cælesti animata,
Hinc Animam.
Animam generosiorem, Animam Sapientiorem, ac feliciorē recipiũt.
vel
sicut Memnonis statua, Sole Oriente loquens,
Inde vocem.
sed vocem iucundiorem, vocem affabiliorem, vocem eliciunt efficaciorem.
Sub Hoc tam eximio, tam excelso, tam Potenti Rege,
qui è mundi huius floribus
semper sibi colligit Agmen,
Collectumq́ tegit, longosq́ propagat in annos,
Et Apes istæ in vnum conglobatæ,
Alueare istud, tam copiosè scientiæ suæ replent melle;
vt nec
Zygantes Africæ populi, apud quos, ob læta pascua, prouidæ
luxuriantur Apes, vnquam in tanta copia,
fundant mella fauis è dulcibus,
quàm hæ generosæ Apes.
Transmittunt sæclis Heliconia mella futuris.
Hoc tu, viuidum nouarum Apum examen,
Admodùm Reuerende Domine dum ad hoc gloriosum reducis
A L V E A R E.
Ipse quoq́; eodem ex agmine, prima Apis es,
Apis dotibus, Apis laboribus, Apis industriâ,
Apis honore Sacerdotali.
& verè,
si Apes Musis Sacræ;
B Tu, huic

Tu, Huic Sacer, in quo omnes sunt Musarum deliciæ,
Si Apes Musarum volucres, quod Musarum exemplo in Montibus degant;
Tu in illo Sacerdotalis dignitatis constitutus honore, qui est,
Mons in quo ipse disputat Dominus.
Si Apes præclaris gloriosæ natalibus, quòd secundùm Cardanum dulci generentur ex melle;
T V
Tali Genitore natus, qui abiectâ amarâ mundi dulcedine, illi se dedicauit Sponsæ, cuius
Fauus distillans labia.
Labia illa,
de quibus non iam stillat dulcedo, sed ille egreditur dulcis fluuius, qui Vniuersum irrigat Orbem.
& licet
tanquam Nilus inundatione ferax, copiosè
septem discurrat in ora
& non Ægiptum solùm, verùm totius Orbis arida prata dulcibus foueat lymphis;
Labia tamen Sponsæ, nunquam orbantur dulci succo.
quia in ore illius,
eximiæ semper mellificant Apes.

S. Ambr.) *QVÆ*
bonos flores ore colligere, fauos ore fingere, mella ore componere, & ex herbis suauibus ore filios legere consueuerunt.

Talis procul dubio Apis est Admodùm Reuerendus
D. ALBERTVS RVSZKIEWICZ
Parochus modernus Biezanouiensis, Carissimus Parens Tuus, qui,
velut Apis, tot flores ore collegit;
quot artibus honestissimis, quot Lectionib⁹ Philosophicis subtilissimis sedulam operam dedit,
sub Eximiis æuo suo in hac Alma Vniuersitate Professoribus
Tot fauos ore finxit;
Quot homines doctrinâ suâ in melius efformauit.
Tot mella ore composuit;

quot

quot dulces adhuc sæcularia tractans, fudit ab ore sonos,
post verò, sacro Salutifer ore, quot sacris impleuit sermonibus aures,
Tot mella in Exhedris laboriosè ac gloriosè composuit.

Tot ore filios legit;

quot sontes animas, fando instaurauit, quondam Pater,
nunc Pastor, quondam solo, nunc Polo dicatus, quondam grauibus
sæculi curis mancipatus, nunc Municeps cæli;
nullibi sua dirigens lumina, nisi
ad limina templi.

Certè non serui inutilis more, accepta talenta fodit in terra;

Sed alia atque alia lucratus, Domino reddidit cum fenore
dum

cum pretiosis talentis tradidit seipsum, Ethnicum imitatus Æschinem

qui vt (Seneca ait) cum Socrati Præceptori suo non haberet,
quod traderet, dedit seipsum dicens:

*Nihil dignum te, quod dare possim inuenio, ideoq; dono tibi vnum
quod habeo, meipsum; hoc munus rogo qualecunq;
& boni consulas, cogitesq; alios cum multa tibi darent,
plus sibi reliquisse.*

sic &

Carissimus Parens Tuus, cùm nullum tanto Domino, atque Magistrorum Magistro, digniùs posset reperire munus, seipso; Vt sibi nil relinqueret totum se dicauit Domino

vndè

nec Virulenta rabies inuidiæ quidquam ei officere poterit,
quod serò, & forte iam circa nonam
in Vineam Christi vocatus sit,
quoniam in prouectiori ætate.

Sed

licet serò aduenerit, par tamen illis qui portarunt
pondus diei & æstus, effectus, denarium pariter
accepturus est;
cum tantùm laboris perpessus, & itineris emensus fuerit,
quantùm alii â hora prima vsque ad vltimam,

solo mentis ardore impulsus.

quoniam

C. Literas & C. Nisi §. 1.

Debilitas corporis Spiritus feruore instauratur,

per quem ad sublimiora conscenditur.

Dignus certè qui cum primis diurnum accipiat denarium,

quoniam pro hac mercede non solus laborauit,

sed vt dignior hoc æternitatis fieret salario,

Te quoque

ne minimùm quidem reluctantem, vti ad sacra natum, & educatũ,

Sacris feliciter initiari curauit.

Vt sic

Præstantior, quia Sacratior, Patris ad Filium,

& Filii, ad Patrem esset

R E L A T I O.

Hinc

felix Vestra domus Ruszkiewicyana, Dodonæa quercus mihi videtur; in qua, nil nisi Diuorum vsibus nascitur,

dum tu Filius secutus Patrem, nec Patrui ex Fratre nepos degener esse voluisti.

Sacri, sicut Pater, ità & Patruus Tibi erant

Illustris olim Excellentissimus & Admodùm Reuerendus

D. STANISLAVS RVSZKIEWICZ

Insignis Collegiatæ Sandomiriensis Canonicus

Hic, primùm verus Almæ Matris Alumnus,

post,

Artium Magister, & Philosophiæ Doctor,

Magnis Magnorum Virorum Prolibus instruendis toties destinatus.

Hanc tàm laboriosam spartam, postquam non semel gloriosè egisset,

Vt gloriosior ac fructuosior appareret, velut arbor

transplantata fructuosior

aliò transferri voluit.

Sandomiriense tunc ferax animorum ac ingeniorum Lyceum,

Superiorum voluntate suscepit regendum,

ibi

Virtutibus clarus, ingenio perspicuus, eloquio suauis, ac iucundus,

cuius

cuius ibidem, cùm toties gloriosa fecisset experimenta,
Ob has præclaras animi, ac ingenii dotes,
Omniũ corda ad se traxerat, oculos cõuerterat, dignus;
QVI,
in numerum Collegiatæ insignis Canonicorum
adscriberetur.
Sed quoniam,
veluti Apis ad Alueare, ad Cathedram natus fuerat,
noluit imitari illos, qui in honore aliquo constituti,
otio torpescunt, & vt dicitur:
neque mel, neque Apes;
dum neque sibi, nec aliis prosunt.
At ille, & aliis, & sibi prodesse cupiens, otium aspernatus;
pro Cathedra Philosophica, Sacram elegit Exhedram,
in eadem Collegiata Sandomiriensi simul;
& Canonicus, & Concionator.
procul dubio,
altius conscendisset, nisi inexorabilis Parca, præmature filum vitæ,
præcidisset, non tàm annis quàm laboribus summis,
vrgentibus fatum.
Ad Te, vero iam Admodùm Reuerende Domine,
Amicorum intime,
Calamum meum, ac stylum conuertam.
verè & Tu,
noluisti esse alienus à Patre Filius, & à Patruo ex Fratre Nepos,
dum viuam Maiorum tuorum in te expressisti imaginem,
quoniam,
Sacer & tu sicut & illi.
SED,
quo modo, & quâ viâ, ad tuum perueneris statum,
pandet compendiosè, non compendiosus
sed effusus, meus erga te affectus.
Domi â piissimis Parentibus, in omni pietate, ac morum probitate,
educatus,
Vlterius, in omni pietate, & doctrina educandus, traditus es
C HV-

HUIC
Almæ omnium nostrûm Matri.
in cuius gremio, quomodo te gesseris
non ego,
sed eximij, nunc Clarissimi Professores tui testentur.
Apis semper Attica eras;
non iam Hymetti, sed Musarum libans flores,
Apum diligentiâ.
Musis amicus eras, Musæ amicæ tibi,
quarum,
dum omnigenos inusitatâ industriâ, delibares flores,
illæ tibi sponte dulcem instillârunt rorem, apprecantes:
Vtinam ô Thyrsi; melle plenum sit pulchrum os,
Plenum & fauis.
Vt sic,
insitas mille artibus ingenuis non sentires amaritudines,
ac scientiarum sentes.
Ibas semper per ardua, imò rapido ferebaris cursu,
cùmque tibi Virtutis amor addidisset alas,
breui, ad tantum honoris in Ecclesia euolasti fastigium,
ætate illâ,
quâ alii currere incipiunt ad brauium.
Nam
in Patria adhuc existens potestate, vt & ipse Patris gauderes nomine,
tradita est tibi in Sponsam,
Brzeznicensis Ecclesia.
Cuius postquam sacrum ratificasses connubium,
primam in hac Alma Vniuersitate assumpsisti Laureã,
vt sic,
Laureatus ad sacras prodires Nuptias, Ornatus Vir Sponsæ tuæ,
sicut & illa,
Sponsa Ornata tibi Viro suo.
Nuptitiæ Sacræ tuæ, sat splendidæ fuêre,
nam illas,
Sacratior illustrauit Hymænæus,
IN
MONTE CLARO,

qui tunc

qui tunc,
innumeris coruſcans luminibus, tertium fęliciter peragebat ſæculum,
ſummis in fulgoribus,

Vbi & Tu primò, Sacratiſsimũ Deo, immolabas Agnũ.
Solennis erat Agni illius Typici oblatio,
numerosâ gentis electæ multitudine.
dum illum,
immolabat multitudo filiorum Iſrael.
Solennior tua prima Victima,
cùm illi,
non ſolùm indigenæ, verùm etiam finitimi adſtarent populi,
tunc, ad

Montem Clarum
congregati;
veluti ad Hymettum Apes.

Ad hoc vberrimum Montis Virginalis ſolum,
non ille tibi animoſus Ioſue Dux erat,
S E D
Liliatus Antiſtes;
(cui propter egregias animi dotes, longo cognitus vſu,)
illius ſemper hærebas pectori.
Illuſtriſsimus ac Reuerendiſsimus Dominus,

NICOLAVS OBORSKI,
EPISCOPVS LAODICENSIS
Suffraganeus Cracouienſis.

Hic tibi luminoſa erat Columna,
in qua tibi vt olim in nube Iſraelitis,
loquebatur DEVS.

Erat & Candidiſsimum ac fragrantiſsimũm Lilium,
cuius fragrantiâ illectus, totus lætus
currebas in odorem.

Et hic mihi quoque verè es mellifera Apis,
poſt ſuaues Liliati Antiſtitis odores,
volans pernicibus feruentis affectûs alis,
A D
Montem Clarum,

 VBI

V B I,

vernant continuò ſine fine gratiarum flores,

totosq; per agros

Floret odoratis terra benigna rosis

Ibi quoque tu, ad Claram innumeris miraculis,

Magnæ Dominæ Aram,

primò ſacram eſcam, omni melle dulciorem,

imò ipſam excerpſiſti

mellis medulam,

totus mellitus in poſterum futurus.

Indè verè

totus Atticus, totus Cecropius factus es,

Tuis,

ſiue Apibus, ſiue Ouibus.

nam,

Animas tibi commiſſas & Apes bene, & Oues rectè appellare queo;

cùm vtriſque communis ſit paſtus.

Oues enim ſuaues palato herbas,

Apes dulces depopulantur flores,

hâc ſolâ differentiâ:

Quia hæ libant, illæ carpunt,

nil tamen obeſt,

licet carpunt, ſi non radicitùs euellunt,

nam,

ex inſitis terræ, radicibus, iterùm virens prodibit herba,

prodetque gratam Apibus ſobolem,

Florem.

Si ergo animæ tuæ Paſtorali Curæ commiſſæ, oues ſunt;

Tu illis ad ſacietatem herba ſalubris,

F A C I E N D O.

ſi Apes ſunt;

Tu illis gratiſſimus thymus, tu candidum Lilium, tu punica roſa,

tu luteola ſarranaq; viola, tu Cæleſtis Numinis Hyacinthus,

gratum ſpargens odorem,

D O C E N D O.

Et ſic

in tenera ſatis ætate tua oſtendiſti,

quia,

Presbyteri nomen eſt dignitatis non ætatis.

Diſt. 21. C. 1. Cleros.

dum

dum,

Vigilantis Pastoris munus sedulò obiisti,

Munus illud;

QVOD,

Plus aloes, quàm mellis habet.

&

hominem requirit, qui vti Pastor,

multiplex sit ad laborem, nullus ad quietem,

non tamen

sine insigni præmio,

nam licet,

Nihil in hâc vita, & maximè hoc tempore difficiliùs, laboriosiùs, periculosiùs, Presbyteri officio; attamen apud Deum nil beatiùs, si eo modo militetur, quo noster iubet 1 P. D. 40. C. 7 Ante omnia

IMPERATOR.

Ad cuius tu similitudinem, vt propiùs accedere posses;

sicut ille semper,

in laboribus â Iuuentute,

ita tu nunquam otiosus esse voluisti.

& bene;

nam otium, si in ferro rubiginem, in ligno cariem, in panno tineas, in domibus ruinam, in terra sterilitatem, in aqua putredinem, in àére pestilentiam generat, quid non facit in homine.

quod tu optimè cernens;

ad normam nostri IMPERATORIS,

vitæ sincerrimum elegisti socium,

laborem;

non aliter,

quàm Damonem Pythias, aut Pythiam Damon.

Qui licet,

in illo stetisses statu, in quo alii veloces sistunt gressus,

& iam currere desinunt;

Tu tamen velut laboriosa Apis, ignauum fucum

inaniter mella consumentem, imitari nolens,

quantocyus euolare cupiebas, pernicibus ingenij tui alis, ex Sacro tuo

ALVEARI,

iterùm ad hos, delicatissimos Musarũ Iagelloniarum colles, rediturus.

vbi placidissimorum
Zephyrorum, sibilat aura,
Quam placidam Oceanus mittit, per amœna vireta.
Sed quia iustos conatus, iustus legum reprimebat vigor,
hunc tu restringi cupiens, optimè tibi consuluisti,
D V M
Gratiosissimi Antistitis nostri,
Opem & gratiam sedulò quæsiisti,
vt te penes Ecclesiam immotum, mirificâ Fascia suâ,
ac si altera Vestalis Claudia, mirabili zonâ in Tyberi nauim,
mirificè traheret, ac de loco moueret in locum.
Annuit Gratiosissimus atq; Sapientissimus
A N T I S T E S,
Q V I
perbellè sciens, quia,
1. p. Dist. 39. C. 4. Nulli. *Nulli Sacerdotum Canones ignorare licet,*
liberum te Themidis cultorem pronunciauit:
vt populo facilius posses præbere,
Legem vitæ & Disciplinæ.
Interim
Tu Attica, tu Dedala, tu Cecropia Apis;
conspiciens melliferas, (quarum nunc gloriosè Agmen ducis)
A P E S,
ad mirificum Cathedræ Philosophicæ Alueare,
mel suauissimum deferentes,
non potuisti tantæ gloriæ, non sentire fragrantiam,
S E D
vt tu quoque ornatior redires ad sponsam, eundem
cucurristi in odorem;
& vt dicitur inopinatè
insiliisti in A P E S.
sed o quàm benè, o quàm feliciter,
nam
Apes istæ,
licet non sine ingenii acumine sint,
sine tamen pungenti aculeo.
Similes Halizonum Apibus, quæ, (teste Pausaniâ) adeò mansuetæ
sunt, ac Cicures, vt vnâ cum hominibus pabulatum exeant,
ac libere vagentur.

In eius-

In eiusmodi & tu tractabiles insiliisti Apes,
Quæ te videntes, vnctam cælesti succo, â Domino Apem,
auidè circa te glomerantur,
Sacro Ductore ingredi cupientes,
Hocce amænissimum scientiarum
A L V E A R E.
vt sic bono omine,
per sacras manus, præclara Doctoratûs recipiant
I N S I G N I A.
Ergò bene est, Sacræ Musarum volucres,
ac inclytæ scientiarum Apes,
bene vobiscum egit Sapiens ac Æterna Dei Prouidentia;
Q V Æ,
omnia disponit suauiter;
Dum præclaro Agmini Vestro, Sacrum prouidit Ducem.
V E R E
pronum in laudes Vestras calamum meum,
Doctrinæ, virtutum, factorum, ac morum vestrorum,
Copia inopem fecit;
quia dum ignorat, quam priùs virtutum vestrarum,
saltim attingere debeat,
licet non libens, silere cogitur,
sonoro tamen pronuntiat silentio:
Vestris id factum meritis, quòd Regium sit, hoc vestrum.
A G M E N,
sub
Regio Duce,
cùm semper sit
Regale Sacerdotium
Dum ergò
mirari potiùs, quàm laudare conueniebat virtutes vestras,
libens digitum imponam labello,
vbi pronuntiauero;
Viuite felices vitam dulciorem, & suaues Anni,
melleos vobis stillare faciant dies,
vt semper dulces sitis,
Ecclesiæ, Patriæ, ac Academiæ.
Tu verò Admodùm Reuerende Dominice,
Domini in pratis rorilega Apis,
iam suauibus spirantibus auris progredere,
hoc eximium Nouarum Apum examen locatura,

in hoc præstantissimo Alueari.
Sed ne, laboriosas Apes infestantes Meropes,
nostrum infestent Alueare;
graui auctoritate muniendum est,
Magni, ac Probatissimi in Academia Viri,
Perillustris & Admodùm Reuerendi Domini,
D. M. IOANNIS MICHALSKI,
S. Th. Doctoris, & Professoris,
Almæ Vniuersitatis Procancellarij Dignissimi.
Qui
Vti Animorum Parens, ita & ingeniorum Lydius lapis,
cùm probato ingenio tuo, sat amplum dedisset elogium,
multa omittam, singulare hoc apponam;
Vt in XXX. Virorum cætu sit Primus, virtutes eiusdem singulares, animi dotes excellentes, & bonus in artibus ingenuis, nec non in Philosophia profectus meruerunt.
Præclari quoque Philosophi nomine te insigniuit:
Dum Theodecten appellauit: exinde, quia ille,
Summis Philosophis, & Oratoribus,
Platoni, Isocrati, Aristoteli carus erat.
Sicut tu Magnis, ac insignibus Viris gratus.
Dum ergò optimè prouisum est Alueari,
procul hinc omnes Melissophagi
nec mel, nec Apes, vitiabitis;
Tanti Viri, stante auctoritate.
Canos eius veneramini, Athenienses imitati;
apud hos,
Animosus ille Pericles, in senectute multùm valebat;
qui dum, bella mouens, pacem reuocans,
Portarum Ciuitatis, seras proprio sigillo muniebat,
nemini licebat ingredi mænia, vel egredi.
Sic claudat senio venerandus, Academicus Pericles,
venerando Testimonio, nostrum Alueare.
Tu verò Carissime Dominice:
vti THEODECTES, esto feliciter
DEO Doctus,
& Tanti Viri commendatione,
Re, & Nomine
DOCTOR.

